ter post aliquam horam ! vel diem iterum resurgit ventus : nisi pluuiā
sit longa valde ! que post multā frigiditatē facit victoriā in fumo ventē
¶ Ex hjs etiam liquet quare vapor ventorum non conuertitur et ca-
dit super nos sicut aqua pluens ¶ Huius igitur scdm supradicta cau-
se sunt due Quarum etiam vna et principalior est materia venti ! que est
secca et non bene continuabilis Sed tamen habens aliquid nature hu-
midum quod est continuum vt fumus. et ideo de tali materia resoluta !
non apparet sensibiliter. Sed dispergitur ad modum athomorum.
¶ Alia causa est q̄ vapor venti non natat super nos Sed dirigitur ad
extrema habitacionis nostre seu in puerū arcus vni⁹ terre ideo nō cadit
supra nos. Dico autem conuexum vnius terre quia terra rotunda est.
et quandoq; ventus est in terra vna ! qui nō est in alia ¶ Et tunc va-
por licet non sit simpliciter in extremo. est tamē in conuexo arcus respe-
ctu terre in qua flat. Et hec dicta sufficiant.

Capitulum Sextum dans nume- rum ventorum pprietatesq; ipsorum bonas et malas.

Naturalium Alberti

Is visis ponam omnes ventos locaque generationis et im-
pressiones singulorum de his que fiunt vel generantur in no-
stro habitaculo ¶ Sunt autem quatuor simplices qui generantur ver-
sus quatuor angulos solis super nostrum horizontem distincti Sunt autem
isti secundum Aristotelem Septentrio Meridies Subsolanus Favonius Item
inter quoslibet duos sunt alij duo. et sic sunt octo medij Item inter sep-
tentrionem et subsolanum sunt aquilo septentrioni propinquior et vultur
subsolano propinquior Item inter subsolanum et meridiem est entus subso-
lano propinquior. et nothus propinquior meridie siue austro que idem
valent Item inter austrum et favonium affricus propinquior austro et se-
phirus propinquior favonio Item inter favonium et septentrionem Cir-
ceius vicinior favonio et chorus propinquior septentrionali ¶ Duos
enim preter hos incerti flatus et vagi ponunt quidam Si sunt non deter-
minantur ab istis sed potius in eisdem locis generantur ita scilicet quod
elevatio vaporis in gyro est quasi continua modo hic modo alibi
¶ Superest autem determinare quare unus istorum sit magni flatus et
paucę pluvie et frigide aure et serene Alter autem levis flatus multe plu-
vie et corruptentis aure ¶ Duo autem sunt multorum flatum ut fre-
quenter non tamen fortium Unus autem abscindens pluvias orientalis
vel subsolanus ¶ Alter autem conducens pluvias occidentalis si-
ve favonius Dico autem quod aquilo fortissimi flatus est. et abscindit plu-
vias et deperat aerem Et hec omnia causantur a frigore sui vaporis. quod
condensat vaporem et venit a loco frigoris qui est iuxta arcticum polum

Tractatus Quartus

ideo frigidus est ventus. et quia frigus claudit et continet terre poros ac superficiem eius ne evaporet. et ideo depurat aerem abscindendo materiam pluvie. Eadem ratione claudit poros corporum nostrorum. ne immutentur ab ingressu exteriorum in nos evaporabiliter. Et ex hoc patet in nobis calor naturalis et fortificatur et efficit homo sanus. ¶ Huius signa ponam duo. quorum unum est Hippocratis! qui dicit in hieme ventres esse calidiores quam in estate cuius eadem causa est. ¶ Aliud signum est quod habet ex artificio Jacob in Genesi capi. tricesimo Qui virgas posuit ad aquas quoniam prima fuit admissura Arietum. et hoc sicut infra probatur quando flat Aquilo. eo quod ille patet poros in generationibus et seminibus! ne evaporentur spiritus et debilitentur fetus concepti. ¶ Dicit enim Aristoteles in libro de animalibus quod pastores volunt quod oves concipiant masculos. tunc procurant arietum ascensiones versus aquilonem! tempore venti aquilonaris. ¶ Item hic etiam ventus dicitur a philosophis flare recte et directe. non motu elevationis vel depressionis in sine flatus. Et huius causa est quia flatus eius venit ab aquilone in meridiem et quanto plus accedit ad meridiem tanto plus accedit ad calidum propter quod rarificatur vapor et subtiliatur et non deprimitur nec elevatur. ¶ Meridionalis autem ventus oppositis de causis habet accidentia opposita quia enim calidus est eius vapor! et exiit a loco calido ideo morbos adducit. Evaporat enim naturale calidum. Et subintrat calidum aeris turbatum et corruptum et quod conducit vapores terre poros aperiendo et ideo multiplicat pluvias. ¶ Flat autem tortuose. quia flatus eius est ab meridie ad aquilonem.

Naturalium Alberti

et inundans vapor: inuenit frig⁹ aquilonis et ideo inspissat et per conse-
quens flatu suo incuruatur et flatu retroquet. Et ex illa tortuositate fla-
tus iteru inuoluendo comprimunt nubes aqueas inuentas in aere. Et fa-
cit etiā hac de causa pluuias ¶ Q^o autē dictum est unum flare tortuo-
se. et alium directe. aliquādo habet impedimentū per accidens. Sicut
dicunt Aris. q^o iuxta corinthiam flat aquilo tortuose. et hoc ptingit pro-
pter recuruationē inundantis vaporis ad quosdā montes ibidem existē-
tes altissimos. Ita etiam e converso propter loca calida que pertransit
meridionalis. incipit dirigi in flatum meridionalē ¶ Eadem de cau-
sa in nostris climatibus. sexto et septimo. venti australes nō adducunt
morbos. eo q^o antequā ad nos veniant in frigidant in nubibus montū et
aeris Et ideo nō adeo aperiunt corporis poros. quod sanitati nocet per
plurimū ¶ Tempus autem flatus aquilonis est in vere plus. et in au-
tumno min⁹. et causa primi tēporis est quia in frigore hiemis vapores
multi sunt cōgregati in terra conclusi. qui tempore veris euaporant et
euocant et faciunt ventos. Et precipue in aquilone ubi magis de frigo-
re. tenuis quoq^o calor: qui non consumere potest. in autumno autē terra
ē exsiccata a calore solis. et ideo calor solis de facili euocat vapores eo q^o
tunc terra nō est constricta. et cū egredit vapor. siccus est valde. et ven-
tus altus. in aere incipit flare valde. Ideo prouerbium vulgi est q^o vēti
alti flant in autumno ¶ Subsolanus vent⁹ est calidus et sic⁹ absin-
dens pluuias non tamē adeo ut aquilo. eo q^o est de vapore sequēte soles
qui siccus est. et motus firmamenti iuuat ad hoc. quia idē est mot⁹ ven-
to ij

Tractatus Quartus

ei illius. ut est motus diurnus. Et ideo resoluitur vapor et exsiccatur.
¶ Favonius autem per oppositas causas adducit pluvias. De medijs autem istorum est intelligendum mixtum. scilicet naturam principalium. Et notandum quod mane ante diluculum est ventus quandoque de die. et cessat in nocte. et e converso. Huius autem ratio est. quod de mane emittuntur radij solis (vapore frigiditate noctis compresso) in orientem. et ideo sol elevat ipsum. Et ipse iterum ex frigiditate loci descendit. et ideo facit ventum. qui quandoque cessat sole vincente. et quandoque confortatur. quando sol non sufficit vincere. Sed tantum sufficit elevando repugnare continue depressioni.
¶ Vapor igitur siccus deprimitur nocte. et releuatur die. et ventat. e converso vapor calidior de die vincitur et aliquantulum frigiditate noctis deprimitur et proprio calore iterum elevatur et ideo de nocte ventat. ¶ Hec determinata sunt de generatis ex vapore simplici humido et sicco. et in loco alto. videlicet versus. Sunt subsolanus / vulturnus / eurus / ab ortu Circin / occasus zephrusque favonius afflat. Neque die medio nothus. errat et affricus. auferer Proveniunt aquilo. boreas. et chous ab arcton.

Capitulum Septimum de materia et generatione tonitru et chouscationis.

¶ Princeps erit nostra intentio. tangere causas impressionum compositi vaporis. Sicci et humidi. vel sicci cum sicco. vel humidi cum humido. et cum lumine solis. et lumine stellarum. quia tunc habebimus omnia que in alto generantur ex vapore. ¶ Prima autem compositio vaporis est humidi cum sicco. non comixtis vaporibus. Sed distinctis

Naturalium Alberti

que compositio causat tonitrua et choruscationes ¶ Secundo habemus causam de motu terre. qui causat ex vapore sicco nō mixto. sed incluso in elemento solido et sicco quod est terra ¶ Tertio dabim⁹ causam de vento turbini. qui causat a vento sicco obulante opposito vento ¶ Ultimo de iride et circulo solis et lune. de cometis et nubium coloribus. et nebulatum. et de galaxia que generantur ex vapore qui coniungitur cum lumine solis siue stellarum et tunc pervenimus ad omnia que generantur in alto ex vapore calido ac sicco ¶ Dicendum est ergo quod materia tonitruum est alia. et eius locus est alius generationis. Materia est vapor siccus valde et calidus. ille enim defacili totus incenditur ¶ Cuius signum est (licet turpe) satis familiare ! inventos itatibus ventris quia sicce sunt et terrestres. ideo emisse si modicum tanguntur ab igne statim inflammantur. et crepitant ¶ Locus autem tonitruum siue vas generationis est nubes ! aquosa et concava. Elevantur enim forti calore solis ambo simul vapores. cum autem vapor terrestris non sit adeo dilatabilis ut aqueus constringitur in medio sui. et alius expanditur circa ipsum sicut tentorium. Et quia exterior est humidus et interior siccus. Interior fugit contrarium in profundum nubis exterioris. exterior autem loci frigiditate contrahitur ! et amplius agit interior. Et interior agitur conficit partem ad partem. et ad latera exterioris Et ex ipso motu et conficatione contingit ipsum ignem. ignis autem a suo contrario expellitur. et vis ignis scindit nubem aquosam et in scissura illa accidit choruscatio et sonus. que simul sunt in tempore. sed non simul comprehenduntur eo quod visus est autem
hij

Tractatus Quartus

ditu spiritualior. Et hec etiam est Aristotelis sententia ¶ Notandū
q̄ tribus modis fit sonus in tonitru. sicut probari potest suo tpe et lo-
co ¶ Et tribus modis fit egressio vni⁹ vaporis ab alio. Et ideo sunt
ser hic notāda. Sit em̄ quandoq; egressio vtolenta per expulsionē vni⁹
ab alio. quemadmodum dicit Aristoteles in li. meteoroz ¶ Quā-
doq; autem nō tantum. Sed vapor paulatim abscindēs nubem in qua
est euolans. inuenit aliā siccam! cōstrictam et spissam et inuoluit se in
illā. et ex collisione facit sonum. quandoq; cum chouscatione nubis ve
quando inflamat. Et quandoq; sine chouscatione. quando s; solū
colliditur ¶ Tertio autē egreditur parvus vapor et rarus inflamma-
tus ex nube tenui et non multū aquosa et tunc videt ille ignis sicut alba
flamma per fumum multū. et non facit sonus in ppria nube. Sed ob-
uiat ei alia nubes valde aquosa. et spissa et ideo q; debilis ē flāma extin-
guitur in illa nube aquosa. fumando potius q̄ sonando. sicut sumat fer-
rum cadens in aquam ¶ Tripliciter igit vapor egreditur de propria
nube s; ante inflammationē. et in ipa inflammatione. et post ¶ Ante
quidem inflammationē. quādo vapor incipit cōprimi in profundū nu-
bis sui acumine. eo q; sic⁹ est vapor. et penetrat nubē et egredit ad aerē
quem cōmouet fortiter vel debiliter s; diuersitatē sue virtutis ¶ Et
hec est causa quare ante tonitruū sunt venti fortes et validi. In ipa aē
inflammatione. quāq; uterq; est rarus et debilis. tūc q; interior nō inuenit
resistēs et egredit sine sono vel vōto. qui peruenit ad auditū nostrū Si-
cut accidit in estate. in serotinis ac paruis chouscationib⁹ ¶ Postq̄

Naturalium Alberti

ante vapor: Inflammatus est. quāq; est paru⁹. et tunc pulsando latera nubis
facit sonū. et anteq̄ pertranscat extinguit. et tūc audit son⁹ sine cho-
scatione ¶ Et iste diuersitates a paucis sunt psiderate Sed oēs inue-
niunt per experimēta. Si quis obseruauerit in noctibus auras estatis.

Capitulum Octauum de diuersi-

tate et colore nubium tonitrua continentium deq; vario cho-
ruscationum descensu.

¶ Hinc dicam de diuersitate nubis ptinentis tonitrua. Et post
ea diuersitatē vaporis sūm colorem ignis in ipsa nube. Et tan-
dem diuersitatē descensionis eius ad nos ¶ Est autem nubes frequē-
ter quadruplicis dispositionis que cōtinet tonitrua / nigra / rubea / vi-
ridis, et alba aliquantulū ¶ Nigra quidem nubes est spissa proptio
frigore. et ideo non dat locum radijs solaribus ut penetrando dealbifi-
cent ipsam. et ideo spissa fortiter comprimunt vaporem. ex quo genera-
tur ignis et dat forte tonitruum si vapor inerssecus multus et spissus.
¶ Rubescens autē et nigra nubes de se est valde spissa. sed vapor igni
eius resultat per ipsam Et ideo ut frequenter dat fortiozem ictum q̄ ni-
gra ¶ Viridis autē cum nigredine et rubore paruo est pessima om-
nium nubium si sit supra aliquam ciuitatē. quia illa habet de igne plu-
rimum propter rubedinem. Et vaporis materiam multā propter nigre-
dinem. Et habet multam aquam propter viriditatem. et ideo sic pu-
gna fortissima frigidū cū calido Et humidū cū sicco. intantū ut illa fre-
quenter emittit fulmina magnoꝝ lapidū. qui deiciunt turres et incē

Tractatus Quartus

dunt domos et homines destrunt ¶ Albam vero nubem timere non oportet. quia parum habet de veraq; materia. et ideo cum eius flāma sup edificia ceciderit statim extinguitur. anteq; incendat ea nisi fuerint sicca valde et cremabilia. ¶ Valde autē observandi sunt colores chortuscationum. qui sunt multiplices. rubeus clarus. albus flammeus. rufus quasi vinosus. ¶ Primus causatur ex vapore nō multum sicco humidum vero dat ei colorem rubeum sicut est flamma lignorum viridium et est tremendus color iste. quia tale humidum continet materiā que nō semper spargitur et ideo facilius et fortius incendet. ¶ Flammeus autem color albus est valde sicci vaporis sicut est flamma siccorum lignorum et ideo cito spargit et nō cremat nisi valde cremabilia sicut ē stupa et huiusmodi. ¶ Rufus autē color vinosus valde penetrabilis ē eo q; chortuscatio illa. est valde conglutinati vaporis ac valde terrestris. Et frequenter incendit et scindit. ¶ Casus autē ipsius est de nube multiplex ad hec inferiora Primus modus est qñ vapor cadit inflammatus rufus de viridi nube et profunda. et hec generat lapidem. Qui vocatur telum tonitruū. hoc modo. Nā vaporabilis commixtio terrestris vaporis incenditur. et cū tangit viridem nubem que iam est in cōversione ad aquā conglutinatur sicut farina in pastā. Fortissima autem incensio obuiat ei ita q; humore nubis nō extinguitur et ideo sic conglutinatus vapor a fortissimo humido ac fortissimo calido decoquitur sicut later Et quia calidum festinat fugere humidum Et ideo in inferiori parte acuitur lapis vbi primo incipit distillare vapor. et est grossus in parte alia et hic la

Naturalium Alberti

pio scindit et incendit quicquid inuenit ¶ Secundus modus est eiusdem
vaporis quando minus est coagulatus / et in nube minus aquosa / et tunc
non perit Sed incensus ingreditur cum impetu . et incendit iterum et scin-
dit . Sed non scindit nisi ligna . et non lapides nisi raro Sed ligna scindit
ex impulsu . et incendit ex inflammatioe ¶ Tertius modus est vaporis
rubei coloris clari . qui nunquam facit lapides Sed tamen sua flamma non se-
parata a vapore . et nunquam scindit . nisi valde compacta et terrea corpora que
non magne quantitatis sunt Si enim magne quantitatis essent resisterent
ei ¶ Et hic interficit homines . et apparet in eis odor combustiois . et
non videtur vulnus . quia cum sit subtilis subintrat sine vulnere . et si aurum
in bursa inuenit comminuet illud . et bursam non ledit . quia bursa est corpus
rarum dans locum et facile subintrat . aurum autem compactum est et durum
resistit et ideo quandoque comminutum est in partes . quoniam in puluere . et hoc
modo nostris epibus accidit quod gladium cuiusdam perforauit et non lesit va-
ginam Et lapidem paruum comminuit . magnum vero non ¶ Quartus
modus eius vaporis est magis vari . et ex minus aquosa nube egrediens et ille
subintrat non diuidendo ledit . nec aperte incendendo Sed est chouscatio
rubea valde continua et multum nociva . nocet enim vineis ut mihi recu-
lere vineatores et precipue botris illis qui multis folijs sunt coopti et cum
per aliquod foramen chouscatio cum radio suo proicit . eo quod vine huiusmo-
di sic lese evaporare non possunt . Et hec chouscatio non tantum nociva
est arboribus immo etiam alijs corporibus quia directe cadit Et etiam su-
us radius est nocivus huic quod tangit quod corrumpit ipsum eo quod illud facit ex

Tractatus Quartus

natura eius ¶ Unde hac de causa quidā inspicientes talem chousca-
tionē inflati sunt in facie. et quidam excecati sunt oculis ¶ Quintus
modus est vaporis albi qui egreditur de nube inflāmata sicca non coadu-
nata et ideo dispergitur in aere. Sed tamen egreditur cum magno im-
petu ppter nubis profunditatē in qua est. que est multū aquosa. et ideo
scindit. et scindendo extinguit. Ita q̄ ea que scindit videntur alba et non
apparent in eis signa combustionis. Et quandoq̄ interficit quādo for-
tis est eius impetus atq̄ impulsio. Et quādoq̄ propter sui disgregatio-
nem percutit quem in vno loco sine offensa socij sui iuxta eum sedentē. et
percutit eum qui stat remote. Quandoq̄ est reflexus ab vno progreditur
pariete ad alium et percutit eum. Et quandoq̄ est debilis et vestem cōsu-
mit et extinguit statim. et cessat eius violentia et non ledit hominē et ta-
lis mihi accidit casus. ¶ Sextus est egressus eiusdem vaporis ex nube
debilitata et ille omnino nihil nocet. quia statim peractu aeris extinguitur
et recedit ita q̄ cessat simul incendium eius. et violentus impulsus.
Sed hic adiiciendū est. q̄ propriū temp⁹ tonitruū. aliud est in regionib⁹
bus frigidis s̄z in. 5. 6. 7. climatib⁹. Et aliud in calidis vt in. 1. 2. 3.
ac. 4. climatib⁹. ¶ In regionibus em̄ frigidis raro tonat fortiter nisi
sole existēte ad tropicū estiualem qui est in capite cancri. quia tūc calor
solis fortis existens fortiter eleuat vaporem aque et terre ex quib⁹ iunget
causat tonitruū. ¶ In alijs autē calidis regionibus causantur tonitrua
a in equinoctiali. et hoc est sole existente in capite arietis et libe Quā-
do em̄ est in cancro tūc potius incendit vaporem q̄ eleuat. Nec est com-

Naturalium Alberti

etariū hoc quod supra diximus. Sol in estate poti⁹ abscindit. aburen-
do vapores. hoc em̄ verum est de vaporib⁹ debilibus. Sed cum fortis est
calor: tunc nō potest consumere vaporem grossum. Sed eleuat ipsum. ve
magnus ignis eleuat ligna accensa. et facit volare ea p̄ aera. ¶ Unde
obseruauerant rustici vnum experimentū et verū ē q̄ sum̄ expere⁹ duo
bus annis quando audiuntur tonitrua in hiemalibus signis vt in capri
cornu et aquario q̄ tunc circa initium veris. et forte per totum annum
plus ventabit q̄ alio anno. Et huius causa est quia huiusmodi toni-
trua significant multam materiam ventorum et vaporum esse in aere
que non defacili abscinditur etiam per totum annum.

Capitulum Nonum declarans

mirabiles effectus tonitruū et choruscationis. Causasq̄ il-
lorum assignans.

Id debatur autem multē philosophis. q̄ tonitruū esset res di-
uina propter mirabilitatem et diuersitatem effectus ipsius.
¶ Precipue autem dicētes choruscationē esse rem diuinam fuerūt duo
magni philosophi hesiodiste in cultibus deorum patres sc̄z Actalus et
Latina etiam Seneca qui dixerunt iouem esse causam ei⁹ eo q̄ diuersus
et mirabilis esset eius effectus. ¶ Propter quod inueniuntur aliquando
ledere flores vinearum et nucleos auelanar. cū tamen nusq̄ combustio-
nis appareat signum. Liquefacit aurum et non ledit crumentam siue sac-
cum in quo est aurum. Aliquando liquefacit et comminuit et perforat
gladium multis foraminibus absq̄ lesione vagine. Aliq̄ exurit calceos
et non ledit pedem. Aliquando exurit in toto corpore crines. et nō exurit

Tractatus Quartus

corpus eius Dico autem crines tam circa iugina q̄ sub aellis et ceteris occultis locis. et non cura vel brachia que iugina cooperiunt Aliquando etiam alterat colorem alicuius hominis siue animalis quod percutit et nihil aliud facit. Aliquando interficit et tamē nullum vuln⁹ apparet vel combustionis vel adustionis Aliquando apparet signum diuisionis ut precipue in intersectis lignis et a tonitruo percussis que in loco diuisionis albiſſima inueniuntur ¶ Et pre omnibus hoc dignum est admiratione sicut dicit Seneca q̄ aliquando percutit et adurit dolet et adhuc stat vinum per tempus et nō defluit neceffunditur Fertur autem a philosophis quibusdam q̄ animal venenosum percussum venenū amittit Cuius signum est q̄ serpens percussus infra paucos dies vermiculat putrefactus Quod nō facit alter serpens aliter interfect⁹! eo q̄ venenum prohibet in eo nasci vermes vel ex eo cibari ¶ Quod autem commuiter omnibus fulminatis accidit est q̄ omne fulmine percussum odorem perahit sulphureum. et semper vertit caput contra impetū fulminis Arbor autem siue planta dum percutitur a fulmine. hastulas diuisas a fulmine erigit et alia mlt̄a sunt a philosophis in effectib⁹ fulminis notata mirabilia Propter quod dixerunt omnes qui antiquitus theologisabant q̄ fulmen dirigeretur a dijs Et attribuebant regi deorū quē Iouem appellabant ¶ Sicut ergo enumerata sunt ista ita reddam⁹ causas naturales istorum ut patebit quia error est ea attribuerē dijs. ¶ Postea reddemus causam Si iupiter qui est vn⁹ planetarum aliquam habeat in conseruis et fulminib⁹ virtutem Dicimus autem sicut patet ex preha

Naturalium Alberti

bitis. q̄ in fulmine quādoq; vapor descendit ad terram seu in terrā. &
aliquando extinguitur anteq̄ descendat. Ille autē vapor qui nō descen-
dit! sed extinguit̄ debilis est. et non adurit nec aliq̄ percussit. ¶ Ille
autem qui descendit aliquādo subtilis est. aliquādo gross⁹ est. Subtilis
autem penetrati⁹ est valde. et quia immiscetur aeri quē alterat suo lu-
mine. igne siue calore. et efficit̄ ad huc maḡ subtilis. et ideo ea que sūt
magis porosa penetrat. et ideo citius eruit licet non videat̄ vestigium
combustionis sicut flores vinearū et auclanarum. eo q̄ lignum istud est
porosum valde. Inter illa ligna porosa distinguendū est. quoniam ali-
q̄d habet poros rectos aliq̄d obliquos siue tortuosos sicut Bur⁹. et cete-
ra ligna que sunt tortuosa siue nodosa. Lignū autē nō habēs poros rectos
non recipit vaporē subtilem. siue aerem inflammatum in profundū suū
ideo non aduritur in flore suo. ¶ Quod autē habet rectos poros. du-
pliciter habet illos. Aut em̄ habet hos ascendentes ab ymo per longitu-
dinem suū ligni sicut cursum nutrimenti a radice. Aut habet eos de medulla
venientes ad superficiem ligni in circuitu. sicut radij alicui⁹ stelle pin-
guntur venire ab vno centro. ¶ Et illud q̄ habet primo modo poros
non habet eos patulos contra fulgur. sed occultos. et ideo defacili nō
adurit̄ a fulgure. Et precipue si habet corticem duram et spissam sicut
quercus. pinus et malus. ¶ Hoc autem q̄ habet secundo modo poros
habēs eos patulos. et adurit̄ a fulmine in circuitu vndiq; veniente. et q̄
haurit̄ subtilem ignē emissū a fulgure. Et precipue si habet corticem
diuaticatam subtilem quasi nihil adherentem. ¶ Ideo pre omnibus

J

Tractatus Quartus

lignis in flore lignum vitis magis aduritur quia tale habet poros dispo-
sitos et cortex super non bene adheret ei. Quod autem sic disponunt pori sui
probat. Si vitis viridis incidatur in nodo. tunc enim radij appare-
nt albi pororum de medulla admodum radiorum stelle ad superficiem venientium.
¶ Et ideo ingeniosa natura! dedit viti folia lata quibus defendat se et
suos fructus. Quod faciunt vindemiatores sapientes. Condensant enim
folia cum vitis est in flore ante flores et botros et in tempore matu-
ritatis auferunt folia! ut sol tangere uvam possit eamque maturare. Hec
eadem est causa quare diu insipienti contra fulgur facies intumescit et
quandoque excecatur. Cum enim homo sit porose pellis et subtilis! haurit
ignem in poros qui corrumpit humidum inventum et faciem reddit infla-
tam. Et in oculos intrat magis faciliter! et liquefacit siue exsiccat liquo-
rem crystallinum et oculum execat. Si autem fuerit ignis magis adherens
sed non spissus! sed subtilis et bene commixti ac continui vaporis! iste pe-
netrat porosa sicut correa quasi non resistenda. et frangit dura et resistenda
sicut aurum vel ferrum. Et sic est in eo impetus ictus maior quam caloris. com-
minuit aurum tantum ubi tangit ipsum vel fortasse in pulverem concretis.
¶ Si autem ibi est impetus ictus et caloris simul. liquefacit aurum et non
corium. eo quod propter porositatem corii vel ligni! non congregat ignis.
nec diu stat retentus in ipso vapore! sed transit per ipsum. Nichil enim pro-
hibet quod ignis in vapore disperso non adurat. qui tamen quandoque con-
gregatus in duro corpore comprimente ipsum efficitur fortissime adustio.
¶ Et huius exemplum est! in calce viva et frigida in qua est ignis dispersus qui

Naturalium Alberti

quando ad unū congregat locū, ex hoc q̄ impellitur a quibusdam partibus calcis ad quasdam partes alias per aquā frigidā infusam calci efficit adurens ¶ **Q**uod autem dicit q̄ aliquando adurat calceos, vel alias vestes hominē non ledendo, dicendū est q̄ vapor ille est debilis cōbustibilis et alterat cōbustibile siccū, qd̄ t̄git immediate. Et nō potest in aliud per modū sue nature. Nec in aliud qd̄ habet humorē sanguinis vel alterius, ignem extinguentis infusum ¶ **D**ebilissimus autē vapor et diuaticus est valde, qui t̄m pilos adurit Et pili sunt sumus in aere et siccaus sicci valde et facilis incēsiōis. Et ideo ille vapor nihil aliud alterare p̄t, p̄pter sue flammę debilitatē ¶ **V**apor autē subtilis ictus magis percussus q̄ adurēs inficit calorem percussū, et facit p̄currere sanguinē sub pelle, et ideo inficit hominē, sic q̄ habeat pellē inflatam. Et talē nos vidimus ¶ **V**apor autē ille si sit ictus fortissimi hominē interficit eo q̄ penetrat mēbra vitalia interiora, et etiā p̄cutit p̄pter suam subtilitatem et diuaticationē, vulnus tamē nō apparet nec adustio, eo q̄ magis ledit ictu q̄ calore ¶ **S**i autē vapor sit grossus sibi adherens facit vuln⁹ et si est calid⁹ valde, tūc relinquit adustionis signa maiora vel minora s̄m p̄portionem sui caloris, et partim eius adherentiū. ¶ **E**t si tantū habet ictus impetū, et non est valde spisse flāme, sic alba inueniunt ligna que diuidit, et talis ictus est frequens, et valde sepe videt. ¶ **D**e doleo autē percussio q̄ vinum adhuc stat in ipso Seneca rationē assignat dicens in vino remanere ex fulmine aliquē spiritū, qui coegit humores vini et coagulat ipm qd̄ verisimile ē. Nō em̄ alligari posset nisi ei aliqd̄

Tractatus Quartus

esset additū vinculum ¶ Hec autem solutio non est conueniens quia spirituale non continet corporale humidum. quale humidum vini est. ¶ Adhuc autē non sufficiens est: quia scitur bene q̄ aliquod continet. Sed deberet ostendi quid esset illud. et hoc ex verbis senece haberi nō potest ¶ Sciendū ergo q̄ proprietates vini fulminati et cuiuslibet liquoris percussus est. q̄ efficitur pestiferū et si quis biberit moritur aut demētibitur. Si multū fuerit vinū vel oleum fulminatū ¶ Fulmen enim vino vel oleo vel cuiuscūq; liquoris quez percutit immiscet vaporē viscosum. corruptū et sulphureū. Qui cū humore fulminati liquoris continetur ad modū viscosę pellis. et illa pellis ad temp⁹ continet liquorem. ne defluat. diu autē continere non potest ¶ Hui⁹ autem signū est: si psillium cōmiscet vinū in quantitate magna / tunc vinū multam viscositatem trahit a psillio. qđ est viscosum valde. Et illa viscositas propter calorem vini expellit in circuitu ita q̄ inspissatur Et cum inspissata fuerit. etiam si de dollo vini trahatur spina ad magnū tempus nihil exibit ¶ Sicut autem fulmen liquida inficit et pestifera efficit. ita animalia venefica emūdat et a veneno purgat. quia ille vapor calore suo in eis exinguit naturale humidū qđ erat venenosum. et postea paulatim expirat ab eis vapor fulminis. et sic cadaver a veneno liberat verocq; et tunc talia vermiculant corpora ¶ Quia autē habeant odorem sulphureū oīa fulminata et fetida sunt valde. hoc est propter vaporē sulphureū. qui ex nube spargit aquea. quia aqueitas vaporis mixta est cū terrestreitate. calore corrumpente et adurēte. et pducēte vsq; ad sulphur:

Naturalium Alberti

ream vinctuositatem et talis vapor procedit a nubibus aquosis habetibus in se vapores terrestres atque ignitos ¶ Hoc est generatio sulphuris ut nos ostendemus ubi de mineralibus agemus. Et ideo omnia que fulminantur sulphurea videntur ¶ Quod autem fulmine percussum. contra fulmen vertit caput vel frontem. et hastule arborum dirigunt ad ipsum hoc est ex impetu ictus vehementis. qui convertit ea que percutit contra ipsum impetum. propterea naturale est animali dirigere se contra nocivum improprie perveniens super ipsum. Et ideo in ipso visu quo tentat quale sit nocivum. per fulmen moritur et videtur animal ad ictum fulminis conversum ¶ Super hoc autem augures diversa predicant ac pronosticant. de quibus curandum non est ad presens. quoniam in alia scientia de his est inquisitio Verum aliquod veritatis habeat ¶ Oportet autem hic inquirere. quid sit hoc quod in ictu de nube descendit. eo quod illud presuppositum est in precedentibus ¶ Aut enim est vapor tantum aut aer tantum. aut utrumque eorum. aut neutrum horum. Videtur autem a quibusdam neutrum horum esse. quia facile cedens non comminuit corpora et dura et fortia. Descendens autem de nube corpora dura et fortia comminuit. Videtur ergo quod sit neque vapor neque aer. Amplius autem illud quod facile ab omni corpore impellitur non videtur quod illud fortissime impellat quodlibet aliud corpus. aer autem sive vapor ab quolibet corpore facile impellitur. igitur videtur quod non impellit alia ¶ Probant autem hoc quidam per experimenta. eo quod lapides. ferrum et quelibet alia mineralia. quandoque de nube descendunt. quorum generatio non est ex simpli

Tractatus Quartus

ci vaporis Aliquando etiam dicitur cecidisse de nube corpus animalis perfecti: sicut vituli licet esse motus corporis. Omnia autem hec faciunt ad hoc quod fulmen sit res divina. et ictu fulminis deus veatur in rebus in quibus fuerit voluntas eius Et ut etiam timeant inferiores. dicit enim Pythagoras iouem tonare ut timeant isti qui sunt in chartaro ¶ Si autem hec concedantur pro nihilo opus esset nature. Quod iam ostendimus ubi diximus diuersitatem vaporis qui exit de nube Et pro nihilo etiam erit illud quod Aristoteles in de anima dicit quod aer cum tonitruo et ictu scindit ligna. propter hec et similia. Dicendum est quod deus sublimis regit naturam et per causas administrat naturales Et illas potius hic inquirimus quam diuinas. quia nobis sunt propinque et eas de facili possumus investigare. ¶ Dico autem quod aliquando vapor est cum aere in ictu. aliquando aer solus Nihil enim ita marie percussit sicut id quod primi percussit ictum maxime recipit Nihil autem ita recipit ictus percussentium sicut aer et vapor qui habet aliquod de forma aeris propter raritatem Et ideo aer et vapor fortissime percussunt Vapor enim nunquam sine aere est percussentis! quod vaporis semper est aer immixtus. Aer autem aliquando percussit sine vapore quod vapor usque ad terram non percussitur ¶ Huius autem signum est ventus et tremor qui de talibus ictibus aeris sunt et non vaporum Quod autem obicitur primo et secundo facile soluitur quod aliud est dicere de vapore et aere in se consideratis Et aliud de eis consideratis cum impetu et violentia Secundum se enim nihil inferunt violentie. percussa autem inferunt maximam violentiam ¶ Huius autem causa est quod nullum aliorum corporum intus

Naturalium Alberti

et extra subiectum efficit tante violentie q̄ aer et vapor qui in profundis percussus recipit omnem ictum violentie. ¶ Et hec est causa cur oia impellunt ab aere vel vapore Et nulla violentia potest eē tam fortis sicut aeris vel vaporis . et ideo aer scindit cum tonitru sicut dicit Aristo teles sc̄do de aia Alia em̄ corpora nō efficiunt subiectū violentie q̄ franguntur ab ictu percussentis corporis . eo q̄ alia corpa spissitudine sue materie resistunt et violentiam sui interiorius non recipiunt ¶ Quia autem mineralia cadunt de nube hoc cōtingit ppter vaporum commixtionē eleuatum ! quorum natura tendit ad naturā argentiuii luculente et sulphuris terrestris . unde precipue ferrum cadit . q̄ illud fit ex terrestri luculento et viscoso Et quia muleum decoquit ab igne nubis et ideo cadit in forma calibis optimi quia est ferrum durum et congelatū et depuratum . quia dum congelatur in nube frigida cōglobatur in exteriorib⁹ nubis per modum guttarū distillat ab inferiori vapore Et ideo hec massa est sicut ex granulis milij vel ciceris composita ¶ Corpora autem animalium pfectorum raro formant̄ in nube . licet Auicenna dicat hoc semel contigisse ! q̄ vituli corpus de nube cecidisset . Et hoc ipse maxime vitenti attribuit stellarum in tempore illo imprimendum formā vituli . ¶ Mineralia autem que cadunt adeo sunt exsiccata ! q̄ nec liquefunt nec fabricabilia sunt ! sed cum igniuntur euaporant in cineres . Et per hec patet causa naturalis omnium prehabitorum .

Capitulum Decimum Tempus

tonitru et chouscationis insinuans .

Tractatus Quartus

Empus autē harū impressionum, que sunt tonitrus et choru-
ruscatio, precipue fiūt in estate post magnū cauma et temp⁹
magni estus. Cuius causa quia ille impressiones fiunt de vaporib⁹ spissis
et grossis sicut sunt humide, ex quib⁹ fiunt nigre nubes magne siue sic-
ce, quia fiunt ex vapore terrestri inflammato. Vapor autē huiusmodi
non eleuat in superficie terre, vbi terra subtilis est, vel aqua subtilis, que
descendit ad terram per pluuiam. Sed vapor ille erigitur ex profundo ter-
re, vbi aqua est impura et terrestris, spissa et grossa, et pglutinata, qe
ex his proprie fit vapor harū impressionū, erigere autē de intimis ter-
re huiusmodi vaporem calori non p̄t nisi magnus fuerit valde. Et ideo
non fiunt nisi tempore estiuo. ¶ Adhuc autem non fit tonitruum nisi
ex vapore adusto, qui in sua eleuatione incipit inflammari sicut an̄ dixi-
mus. Calidum autem adurens nō est nisi tempore estatis. Et ideo va-
por tonitruū et choruscationis non multū eleuatur, nisi tempore estatis.
¶ Amplius generatio tonitruū et choruscationis nō fit nisi cū frigore
fortissimo impellente nubē aquosam et comprimēte vaporem. Tale au-
tem frigus non est in aere, nisi sit expulsū vndiq; ad locū vicini aeris,
huius autem expulsio nō est fortis nisi tempore caumatis vt patet p̄ an-
tedicta. ¶ Generatio igitur tonitruū et choruscationis p̄ se non est, ni-
si tempore estatis. ¶ Ex hoc autē scitur q; harum generatio, est post
aure serenitatem, licet in operatione ip̄arum ip̄m obnubiletur celum,
quia tempore nubiloso dispersum est frig⁹ in aere et nō facit operationē
fortem nisi in vno loco. Sed tamen ista non fiunt nisi in nubib⁹. Necess-

Naturalium Alberti

se est ut celum obnubiletur in tempore earum descensus. ¶ Et licet aliquando non videatur nubes et tamen fulgura micant sicut in estate videtur chouscacio sereno celo et precipue in crepusculo. tamen ibi sunt nubes unde micat chouscacio et ad nos venit tantum splendoris alteratio et non tonitruum. ¶ Ex predictis autem de facili scitur duplex locus harum impressionum scilicet. Locus ubi generantur secundum formas suas. Et locus unde extrahitur et elevatur materia sua. ¶ Necessesse est enim ut generentur in loco altiori quam alte humide impressiones. quia ille locus superior est frigidior eo quod ad ipsum frigus depellitur. ab calido inferiori. Et huius signum est magnus et multum spacium quod est inter auditum tonitruum. et visum chouscacionis. Precipue quando sunt tonitrua magna. quia tunc magis est illud spacium quam cum tonitrua parva sint. Locus enim unde extrahitur materia / est humidus grossus / habens humorem aqueum et terrenum conglutinatum non de facili separabilem. quia hic ab igne adurente comprimitur. et inspissatur in nube. ¶ Quid autem virtutis habeat in tonando iupiter. obmissis frivolis augurum verbis. inter se repugnancibus. ¶ Dicimus quod sapientes philosophi Ioui qui est unus de septem planetis. tonare attribuerunt. Cuius nulla est alia causa. nisi quod iupiter in sua habet potestate elevare materiam fortium et siccorum vaporum et precipue quando fuerit coniunctus in aliqua virtute cum Marte tempore estivo in signis septentrionalibus. quia tunc potest certissime predicti. ¶ Multe scintillationes et tonitrua fiunt in aere. Ita quod periculum hominibus est venturum per aeris pestilentiam ex nimia chouscacione futura.

Tractatus Quartus

propter incensos vapores. pestiferos immixtos aeri. quia iupiter cum sole eleuat eos. et mare incendendo corrumpit eosdem. et ita fit aer venenosus Et hec de tonitruis et coruscationibus sufficiant dicta.

Capitulum Undecimum de cau

sis loco et generatione terremotus.

Terre autē motus causam materialem habet scilicet vaporem siccum grossum. et valde terrestrem. ¶ Causam autem efficiētem huius calorem solis penetrantem in profundum. sive in vētrem terre. ¶ Locum autem generationis habet terrā opilatam in superficie ¶ Redeo igitur et distinguo hec tria. incipiēdo a loco. Locus igitur opilatus est tribus de causis. Aut quia non est arenosus mari tamē propinquus. ita tamē quod fluxus et refluxus maris semper sint ad terminos loci ipsius. et sic opilatā loc⁹ ab humido maris. et sic cōcludit vapor quod non potest exalari. quia humidum est repletum pororum ¶ Aut opilantē porū pluujs multis et primis replentibus poros. ¶ Aut si terra est solida et continuata saxo. ¶ In his autem locis exsiccat vapor a calore solis subter⁹ / et nō potest exire ppter opilatos poros in superficie / et ideo multiplicatur in ventre terre. ¶ Materia autē terremotus cum sit terrestris vapor. diuidit per multum et paucum / grossum et subtile / calidum adustium / et frigidū temperatum. ¶ Ex his ergo duobus scilicet loco et materia cōcluditur tempus egressionis. et terremot⁹ effect⁹ Tempus igitur terremotus egressionis frequenter est tempore equinoctij quia tunc multiplicat materia ventorū extra et intra terrā. et sic mul

Naturalium Alberti

explicata scinditur terra et egreditur vapor. ¶ Vidimus terremotum ma-
gnum et longo tempore durantem ut in Lombardia qui fuit circa tropicum
hiemalem. Et hoc accidit ex eo quia materia fuit multa in terra profun-
do et pori isto tempore valde opilati sunt in terra ista! ita quod non potuerunt
evaporare paulatim. et ideo movit se sepe. Erat autem vapor calidus valde
et diffusus per latitudinem ipsius provincie et quia erat calidus valde
et in die frequenter quievit! et tunc a sole subtiliatur ita quod non poterat
movere terram. Nocte autem noctis frigore inspissabatur ita quod tunc va-
luit terram movere. Et ideo precipue medijs noctibus ventebat et duravit
fere per dies quadraginta. tempore autem diurno magis est de mane et in meri-
die quam in alio tempore diei. Et magis in nocte fit quam in die nisi per accidens a-
liquando eveniat. Quando enim vapor calidus est tunc frequenter nimis
subtiliatur in die et inde inspissatus movet terram in nocte. ¶ Si autem
sit frigidus et paucus tunc flat in nocte. Et quia paucus est primo respectu
solis subtiliatur in mane et movet terram. ¶ Si vero est frigidus multus
et spissus. tunc non subtiliatur ad movendum nisi sole confortato super ipsum
in meridie. Egressus autem eius quando est paucus et subtilis. et terre pori
sunt laxi! tunc exit sine sono et non producit nisi parvum tremorem. ¶ Si
autem est subtilis et parvus! et pori terre sunt constricti et tunc inducit cum
tremore parvo quendam sibilum. ¶ Si vero multus est et spissus et pori
terre constricti sunt! tunc autem est frigidus non adurens! aut calidus adurens.
¶ Item autem est vapor unius venti principalis aut duorum oppositorum! sive
autem a quilonis et austris vel subsolani et favonij. ¶ Item autem est in loco ubi

Tractatus Quartus

sunt aque. vel ubi nō sunt aque. Si est vapor nimis frigidus in loco nō
aquoso multus et pori terre cōstricti sunt. eleuabit terrā Ita q̄ videbē
tur mons vel collis. Et si non p̄citur ad alium locum ex imperu tunc
residet iterum vapore egresso in toto vel in parte ¶ Si autem est frigi
dus et multus in loco opilato ubi sunt aque. tunc si sunt aque in superficie
absorbet eas vsq̄ ad tempus. donec resideat quod eleuatum est ¶ Et
hac causa accidit q̄d pro miraculo habitum est. In partib⁹ nostris neca
ro fluuio circa villam leyson ibi absurbitus fuit necarus per vnam leucā
per diem vnus. et non sentiebat manatio aque super istam leucā Et
q̄ in loco terremotus absorbeatur aqua et egrediebatur post illā leucā
et iterum residente fundo manabat vt prius. Et ego eodē tempore sup
ueniens inueni hoc factū ex terremoto ¶ Si autem aqua fuerit in pro
fundo terre. et tunc quādoq̄ terram proicit et facit eā apparere vt foue
am Si autē vapor siccus est et adustius et in loco opilato et nō aquoso
tunc egrediens exsufflat multum cineres exuste terre. Ita q̄ quādoq̄ co
operit ciuitates vicinas destruendo eas. Et cū quādoq̄ taz ille vapor
adustius q̄ frigus procedens terrā vel cineres proiciūt in fluuiū et coo
perunt. ita q̄ vident absorbere ipm. Et quādoq̄ eciam in obstruen
do fluuios in vna parte. cogunt aperire in alia ¶ Si autem est vapor
oppositus alteri hoc est valde incautū quoniam tunc facit voragine profundas.
Et quādoq̄ vnus ventus mouet aquam venientē a parte vna
et alius venientem a parte alia Et inducunt ex cōcursu diluuiū particu
lare. Et precipue quando obstruitur fluuiorū hostia ad fluxum consue

Naturalium Alberti

tum. Exemplum autē de terremoto ponitur in castanea ⁊ ovo que se po-
nunt in ignem non fractis corticibus! vapor qui est interius excitatur a
calore exteriori! et incipit subtilari Et volens exire tūc inueniet resistē-
tiam cū impetu magno frangit testam! ita q̄ frequenter proijcit ovum
vel castaneam de igne ¶ Signa autem terremotū precedentia est fri-
gus ex vapore frigido. Et son⁹ ex motu subterraneo. Sequētia sunt ca-
ligo et tenebre circa solē et stellas. ppter dispositionē nublum. Et hec
de terremoto sufficiunt dicta.

Capitulum Duodecimum de ge- neratione et effectibus venti turbinis.

Equitur tandē videre de vento turbinis. Et de illo determi-
nare facile est s̄m predicta. quia non causatur nisi a ventis ex
opposito p̄tra se ventientibus Quorū uterq̄ est eque potens ¶ Effe-
ctus autē eius est quandoq̄ eleuatio pulueris. Et quandoq̄ radica-
tio arborū! s̄m q̄ fortiores vel debiliores sunt. Quandoq̄ autem vnus
est debilior alio cū resistētia aliqua et tūc cedit per totam viam. Quā-
doq̄ flatus vnus eleuatur super alium et puluis inuoluitur s̄m circulū.
¶ Sit autē quandoq̄ per accidens turbo ab vno vento tantum quando
repercutitur ad parietem versus suum flatum.

Capitulum Tredecimum de gene- ratione et colorum significatione et apparitione yridis.

Estat nunc videre causas generatorum ex vapore qui coniun-
gitur cum lumine solis atq̄ stellarū sicut est yris. Et circulus
R i

Tractatus Quartus

solis et lune et colores nubium ac nebularum ut sunt comete et galaxia ¶ Sciendum ita quod secundum Aristotelem iris causatur ex radio solis redeunte ad vaporem perarum nubibus. sicut resurgens radius in aquam et relucet ad parietem ¶ Oportet autem nubem esse tersam et quietam. ex quiete enim partes confluunt et cum sint similes et sic exterior superficies plana sit et lenis ad recipiendum radioꝝ impressionem. Et sic radius relucet ad vaporem oppositum. Sicut speculum luminosum relucet ad speculum sibi simile contra faciem positum. Cuius signum ponit Aristoteles in libro meteororum. dicens. Quisvis fuit debilitatus cuiusdam viri et dum iree vidit lumen ante se / quod coram facie sua erat quando ambulat. quia humore multum grosso et turbido in pupilla oculorum defluente ymago eius confusa. et precipue oculorum imprimebatur in humore isto tanquam in speculo quodam. ita quod putabat animal simile sibi coram facie sua ambulare. ¶ Et licet sol cuius imago est iris sit rotundus. Ex quo sol longe latior est nubibus superioris parte tangens nubis imprimit ei formam arcualem. unde quanto sol est ortui propinquior vel occasui. tanto in opposita parte apparet arcus maior ¶ Colores autem iridis causantur ex eo quod nubes irradiata a sole. partes habet quasdam altiores. quasdam dimissiores ut sole transmittant. et quasdam grossiores ac alias subtiliores. ut sole excludant ¶ Hec inequalitas alternatim lucet umbramque permiscet Et illam mirabilem speciem arcus representat Sunt autem colores secundum artem. tres vel quatuor scilicet vinosus: ruber extrinsecus super gibbositate arcus post quem sequitur viridis. deinde albus Et sub illo citrinus ad modum speculi dispositus ¶ Et non possunt pictiores fa-

Naturalium Alberti

vere colorem talem similem iridi. Et precipue compositum mediū inter
intrinsicum et extrinsecum ¶ Quidā tamē dicunt iridem quatuor ha
bere colores principales ex quatuor elementis Et quibus etiā dicūt nu
bem esse compositā Ab igne rubeum / ab aere purpureū / ab aqua glau
cum / a terra viridē ppter arbores et herbas ¶ Arcus iste in diversis
temporibus diversa significat. In meridie em̄ arcus magnā vim aqua
rum in aere eē significat! que in meridie dominari possit Si vero circa
occasum fulserit! tonabit et leuiter pluet Si ab oriente surrexit serenita
tem pmittit De arcu Aristoteles ait q post autumnale equinoctiū s3 li
bre signū! in qualibz hora diei posse fieri arcū iridis! in estate vero non
nisi incipiente die vel iam inclinante Cui⁹ rei causam reddit istam In
estate circa meridiē sol est calidissimus et nubes erurit ita q suam ima
ginem in eis imprimere nō potest Sed in tempore matutino aut vergēs
ad occasum q minus calet et a nubibus sustinere potest! suā in eis ima
ginem imprimere potest Item cū sol nō valeat facere circulos nisi oppo
sitis his nubibus in quibus facit eum. Cum em̄ dies in autumnno sunt
breviores tunc semper nubes sunt sibi oblique oppositae Et ideo qualibz
parte diei cū sol est altissim⁹ nubibus potest suam imprimere figuram.
Temporibus vero estiuis super verticem nostrum superfertur et tūc me
dia die nubes directe respicit nec potest eis suam imprimere imaginem.
¶ De iride dicit Isidor⁹ in li. Etimologiaz q arcus celestis dicit⁹ ē a
similitudine arcus curuati! iris ppiū nomē habet Et dicitur iris qua
si aeris arcus. quia per aerē ad terrā descendit. Hic autē a sole resplen
R ij

Tractatus Quintus

Det dum concave nubes ex aduerso solis radium recipiunt! et arcus speciem fingunt! cui varios colores dat res illa quia aqua tenuis et aer lucidus et nubes caligantes irradiate varios istos dant colores.

Capitulum Decimumquartum

de generatione et significatione Halonis.

3
